





*J. Gadendam. De testamentis iuris ... exhibito.*

\$ 972. 27

\$ 85  
17720,2

DISSTATIONEM. AVSPICALEM. IVRIDICAM

---

DE. TESTAMENTO

**IVDICI. PER. PROCVRATOREM**

AD. ACTA. EXHIBITO

---

ILLVSTRIS. ICTORVM. ORDINIS. AVCTORITATE  
SVB. MODERAMINE  
VIRI. ILLVSTRIS. ET. MAGNIFICI  
**JOANNIS. GVILIELMI. GADENDAM**

I. V. ET. PH. D.  
CAESARI. RVSSORVM. A. CONSIL. IVSTIT. IVRIS  
ANTECESS. ACAD. H. T. PRORECT. ET. ORDINIS  
ICTOR. DECANI

**PRO. LICENTIA**  
SVMMOS. IN. VTROQ. IVRE. HONORES  
LEGITIME. CAPESSENDI

D. VII. SEPT. CICIOCCCLXX.

PVBLINE. DEFENDET  
AVCTOR  
MATTHIAS. NICOLAVS. KAEVFFELIN  
KILIA. HOLSATVS

---

KILIAE  
EX. OFFICINA. BARTSCHII.

МАДАМ ЛИМОННАЯ БЛЮ

ОТНИМАЕТ ЗЕ  
БЛЮЗЫ САЛАДЫ  
СОУСЫ БЛЮЗЫ

СВИНИЙ ОДОБРЕННЫЙ САЛАДЫ  
САЛАДЫ САЛАДЫ  
САЛАДЫ САЛАДЫ  
САЛАДЫ САЛАДЫ

САЛАДЫ САЛАДЫ  
САЛАДЫ САЛАДЫ  
САЛАДЫ САЛАДЫ  
САЛАДЫ САЛАДЫ

САЛАДЫ САЛАДЫ  
САЛАДЫ САЛАДЫ  
САЛАДЫ САЛАДЫ  
САЛАДЫ САЛАДЫ

САЛАДЫ САЛАДЫ  
САЛАДЫ САЛАДЫ  
САЛАДЫ САЛАДЫ

САЛАДЫ САЛАДЫ  
САЛАДЫ САЛАДЫ  
САЛАДЫ САЛАДЫ  
САЛАДЫ САЛАДЫ

САЛАДЫ  
САЛАДЫ САЛАДЫ

DE TESTAMENTO  
IVDICI. PER. PROCVRATOREM  
AD ACTA. EXHIBITO

## §. I.

*Argumentum dissertationis.*



Controuersia, quam proponimus, diu quidem inter ICTos agitata, adhuc tamen non composta est, nec facile sperare licet, fore, vt partes ad concordiam ducantur. Scilicet inter complura iuris civilis argumenta, quae doctorum dissensio in ancipitem causam deduxit, illud etiam, quod indicauiimus, locum suum occupat, vbi præcipue disceptatur: *an testamentum, solemnitatibus defitutum, tamquam iudiciale valeat, si per procuratorem ad acta exhibitum, seu, ut vulgo loquuntur, insinuatum fuerit?* quibusdam caute & cogitate affirmantibus quaestionem, quam alii plane negant. Nostra pace opinionem, quae maxime arridet, vnuquisque amplectatur & defendat, modo nobis liceat id, quod huic materiae maxime congruum videtur, pari libertate tueri.

## §. II.

*Testamenti judicialis initium & fundamentum  
apud romanos.*

Ab HONORIO A. institutum esse singulare illud testandi genus, per Principis testimonium, & subscriptionem conditoris, firmandum, non solum e legum nouellarum, quae THEODOSII & VALENTINIANI AA. nomina praef

se ferunt, Lib. II. Tit. III. *de testamentis* manifestum est, sed etiam ex inscriptione L. 19. C. de testam. & quem ad mod. comprobatur. (a) At enim vero testamenta, gestis iudiciorum inserta, & hac ratione legitimam firmitatem nausta, ab eodem initio processisse, valde dubitamus, etiam si testamentum iudiciale fortasse illius quasi consecutio videatur. Quem ad modum testamenta coniugum, quae reciproca audiunt, coram altari declarata, occasione, nouandae legis de testamento Principi oblatu, dederunt: ita iudiciale & iure ciuili, & praetorio, tam per nuncupationem, quam ad acta municipalia consecutum, diu ante vsu, vti videtur, introductum est. (b) Haud congrue igitur ab altero ad alterum argumentari licet, cum testamenti iudicialis ibi obiter tantum & quasi praetereundo fiat mentio, quippe cuius modum, tamquam vsu tritum, vulgoque notum, Imperatores mere supponunt.

(a) Obseruauit id olim JAC. GOTHOFREDVS Commentar. in Cod. Theodos. Libro II. Tit. XIX. de inoffic. testam. ad l. VI. commate ult.

(b) Clare ea omnia demonstrat cit. Tit. IIII. de testam. Nouel. Theodosii & Valentiniiani. Inania esse videntur, quae in differt. *de testamenti publici origine* sub praesidio SENCKENBERGI habita, scripsit JO. BERN. MULLER cap. II. §. 4. 5., neque magis vera est opinio WOLFG. ALB. SPISII, qui l. 19. C. de testam. pro fonte testamenti judicialis venditat. Diff. *de testamento per procuratorem non offerendo* §. 3. Nulla enim dispositio ibi continetur, sed tantum modo narratio rei olim constitutae, & argumentatio, quam a minori ad maius appellare solent.

### §. III.

*Ad l. xix. C. de testam. & quem ad mod. test. ordin.*

Quam esset optandum, vt L. 19. C. de testam. pari breuitate testamenti judicialis naturam non perstringeret. Prima

ma esse videtur constitutio HONORII, ipsaque illa, quam VALENTINIANVS auunculo suo de vltima voluntate, solo testimonio Principis subnixa, attribuit. Ea occasione, qua omnium testamentorum solemnitatem, tamquam rem difficultem, restringit aut emendat, paucissimis verbis testamentum iudiciale tangit, dum, *sicut ergo*, inquit, *securus erit, qui actis cuiuscumque iudicis, aut municipalia, aut auribus priuatorum, mentis suae postremum publicauit iudicium: ita &c.* Aut omnia nos fallunt, aut de testamento nuncupatiu verba legis capienda sunt; de scripto neutquam intelligi posse videntur. Etenim *publicare*, vti hic usurpatur, & incorruptae, & cadentis latinitatis aetate, quin ad barbariem inclinante sermone, vix vniquam significat aliud, quam *palam proferre, aperte ostendere, declarare, manifestare.* Haec vocis significatio tam grammaticis, quam iurecoſultis, aequa ratione vſu venit. (c) Ceterum vltimae voluntatis declaratio in iure passim audit *iudicium*, vti L. 22. §. 1. D. de adopt. L. 8. §. 1. de vulg. & pup. ſubſt. L. 3. de testam. milit., eoque minus dubitationi obnoxium eſt, *mentis suae postremum iudicium* hic praecife *testamentum* indicare. Quis autem, quaefo, dixerit, eum publicaffe *testamentum* ſuum, qui illud scriptum clausumque iudici exhibuit, eo proposito, vt ad acta poneretur? Sanc quam aequa publicaret *testamentum* ſuum is, qui ſolemnier confectum, at inuolutum tamen & obsignatum, merae iudicis custodiae committeret. Contra ille recte dicitur mentis suae postremum iudicium publicare, qui heredem palam, ita, vt exaudiri poſſit, nuncupat. Licet enim testanti vel nuncupare heredes, vel ſcribere; ſed, ſi nuncupat, palam debet. L. 21. pr. D. qui testam. facere poſſ. Accedit, quod *auribus publica-*

blicari, expresse referat Imperator, id quod in alio, quam nuncupatiuo, locum non habet. (d) Praeterea L. 27. C. de testam. idem ostendit, verbis: *vel inter acta manifestauerit contrariam voluntatem.*

(c) Alteram significationem, qua *publicare* denotat in acerarium aut *fiscum redigere*, in praesenti praetermittimus, ea quippe ad hanc legem accommodari plane nequit. confet. RAEVARDOV S. Varior. L. V. c. XVIII. *HOTOMANNVS* de verbis iuris, & alii. Praeter ea alio sensu dicitur a *TRANQVILLO* in vita Claudi c. XXV. libertinos *publicauit*, & a *LAMPRIDIO* in Alexandro Seuero: mulieres infames *publicari* iussit. Sed hacc non magis ad nostra pertinent.

(d) Vid. *VULFEIVS* Conf. Marburg. Vol. I. c. 34. n. 36. fl. *JVL CLARVS* rec. sent. L. III. §. testament. Qu. 35.

#### §. IV.

*Discrimen inter usum fori romani & germanici in  
bac materia.*

Quae cum ita sint, insigne discrimen inter usum fori romani & germanici adparet, romanis non nisi per nuncupationem, saltem explicate, ad acta iudicialia testantibus, nobis scriptum clausumque testamentum iudici cuiuscumque exhibentibus, ita, vt vtrique sua sit auctoritas, aequale robor seruetur. Evidem antiquo saeculo Germanorum patera successoria magis, quam testamenta, placuerant, deinde bona a viuis tradi cooperunt, (e) postea cleri sacra fames testamenta minus solemnia praecipue instaurauit, (f) denique cum iure iustinianeo usus testamentorum, in primis solemnum, receptus est. (g) Ad quae conscribenda, & omnia legitime obseruanda, JCTO, aut causarum patrono, aut notario saltem, opus erat. Postremo testamenta iudi-

iudicialia inualuisse, opinamur, vulgo ignota, & a legum romanarum peritis inuecta, propter eaque eorumdem curae commissa. Prolixam orationem, & inanes cautionum formularumque ambages, quibus nostra testamenta plerumque turgent, verosimile est, nuncupationem ad acta praefertim impediuisse, simul autem male, immo pessime, ad testamenta iudicialia adcommodatam esse legem 21. C. de testam., quippe quae consignatam, ligatam, clausam, inuolutamque scripturam in solemnibus solis concedit & adprobat. Hac ratione formula testamenti iudicialis scripti, mox clausi & obsignati, in Germania stetisse videtur, quae vel ea de causa magis arridere poterat, quod traditionis, aut mortis causa alienationis, more antiquo coram iudice peragendae, speciem prae se ferebat.

(e) conf. D. von WICHT Anmerk. über das Ostfries. Recht L. I.  
cap. 122. & L. II. c. 173.

(f) HERTIVS Notit. regni franc. vet. cap. III. §. 58.

(g) IDEM Vol. II. Tomo III. pag. 100.

### §. V.

*Vsus fori germanici lege quadam gen rali non nititur,  
sed sola obseruantia sustinetur.*

An licentia, qua testamentum scriptum clausumque, quod voluntatem implicitam vocant, iudici ad acta exhiberi, ab eo recipi, & hac ratione tamquam iudiciale valere solet, lege quadam imperii generali adprobetur? adfirmare non conamus; etiam si LAVTERBACHIVS (h) in §. item, es gehueret zu einem ieden. 4. R. J. colon. de 1512. eiusmodi ordinationem contineri putet. Supponit ibi Imperator, necesse esse, vt is, qui vltimam voluntatem expositurus est, animi sui iudicium aut verbis, aut literis, quae intelligi possunt,

possunt, exprimat, alioquin illum' testamento condendo plane non esse idoneum. Sed totum orationis contextum de testamento solemni agere, nemo non perspicit, de iudiciali ne verbum quidem interspersum est. Idecirco recte concludimus: hominem, qui neque fari, neque scribere potest, nullum plane testamentum facere posse: consecutionem vero, scilicet, ut testamentum vi huius legis scriptum implicitumque ad acta exhibere liceat, eo proposito, ut fide publica sustineatur, plane negamus; saluis tamen legibus specialibus prouinciarum, saluis quoque statutis, quippe quae consuetudinem haud raro imitantur.

(h) *Dilect. de testamento iudicali §. X.*

### §. VI.

*Testamentum iudiciale nuncupatum per procuratorem  
ad acta referri nequit.*

Vt ad argumenti tractationem progrediamur, concedimus primo & libenter largimur, procuratorem adhiberi plane non posse, vbi testamentum nuncupatum ad acta referendum est. Resput natura eiusmodi testamenti, ut pote quod continere debet deliberatam, certam, & cogitationes adaequate experientem verbis dispositionem, omne officium mandatarii, cui tanta fides adhiberi non potest, vt ipsius declaratio pro iudicio testatoris accipiatur. Etenim discrimen ingeniorum, memoriae imbecillitas, & dispariles singulorum sensus, ea, inquam, omnia non patiuntur, vt diuersorum eadem ratio, idem iudicium, eadem intelligentia rerum, supponatur. Quapropter leges in omni testamento solemni, tam scripto, quam nuncupatio, ipsius testatoris praefentiam exigunt. L. 9. L. 12. L. 21.  
L. 26.

L. 26. C. de testam. Idem statuendum est de nuncupatiō minus solemni, seu iudiciali, cuius fides alia ratione salua esse nequit. Itaque tum demum securus erit testator, si actis iudicis mentis suae postremum iudicium *ipse publicauit.*  
L. 19. eod.

## §. VII.

*Ad testamentum iudiciale nullae solemnitates requiruntur.*

Testamentum Principi oblatum valet, si, *insertum mera fide precibus, conscientiam Principis tenet.* Eadem mera fides ad testamentum iudiciale pariter requiritur, ita, vt commode dici videatur, quod, insertum mera fide actis, conscientiam iudicis tenet, illud aequē valere. *Meram fidem* interpretamur plenam, integrā, qua constat de certo & indubitato proposito testatoris, vltimam voluntatem declarantis. Omnia igitur hic abesse debent, quae certum liberumque iudicium eius vlo modo in ancipitem quæstionem deducere possunt. Hac contestatione fretus iudex auctoritate sua fidem gestis coram se addit, praeter eaque nulla solemnitate, nulla probatione facti, opus est. Namque superfluum foret priuatum testimonium, cum publica monumenta sufficiant. L. 31. C. de donat. Verum audire mihi videor obstrepentes, ac si Imperatores in saepius cit. L. 19. *de solemnitatibus in utroque testamento, tam Principi oblatō, quam iudici adacta exhibito, nihil plane remiscent, quam testes; contra solemnitates internas, & alia omnia, quae, praeter testes, ad testandum iura requirunt (inter quae praesentia testatoris primarium est) confirmarint.* (i) Aut non capimus sensum verborum, aut praesentia testatoris ad solemnia interna testamenti primo loco hic refertur; alii saltē hanc ex-

B

plica-

plicationem amplexi & professi sunt. Pace doctissimorum virorum liceat nobis discessionem ab eis facere, nullamque solemnitatem testamenti internam, quam solam heredis institutionem, statuere; quando quidem eas res proprie vocamus solemnitates, quae certis legum institutis obseruari debent. Adstricta erat apud romanos heredis institutio tali necessitate, vt, ea omissa, totum testamentum corrueret, quin verborum adeo necessaria fuit obseruatio, vt eorum neglectu tabulae fierent irritae, donec CONSTANTINVS ea ludibria profligaret. L. 15. C. de testam. Ratio, quare veteri iure testator ipse praefens esse debuit, consistit in actu legitimo mancipacionis, quoad testamenta ea interueniente condicione solebant; postea vero quam mancipatio in desuetudinem abierat, nouumque testamenti genus introductum erat, certa voluntatis ultimae fides alio modo testibus constare non potuit, haud secus ac testimonium de rebus, ipso absente gestis, nemo ferre, neque notarius instrumentum super negotio, cui non interfuerit, confidere potest. Neque tamen negamus, reliquias antiquissimi testamenti, per mancipacionem expediendi, hic supereesse. Ceterum naturalis ratio plane non patitur, vt eiusmodi res aliter conficiantur, coque minus indigent forma, a lege ciuili praescripta, cuius ope demum conualefcerent: idcirco solemnitatibus adnumerari nequeunt.

(i) Ita argumentatur spissis in cit. dissent. §. 5. mox sibi ipse contradicterus §. 13.

### §. VIII.

*Testamentum publicum maiori firmitate munitum non est,  
quam priuatum.*

Emm vero obiicitur porro: HONORIVM & THEODOSI-

DOSIVM id voluisse, ut non solum facilior, sed securior etiam redderetur testandi facultas: at eam tamen securitatem obtinere non posse, si non ipse testator, sed alius quidam eius nomine Principi aut iudici testamentum off. rt. (k) Quod ad pri-  
mum attinet, faciliorem testandi modum deprehendimus, tutioem aut securiorem non perlpicimus. Namque testa-  
menta priuata, rite & legitime condita, vim & effectum omnino sortiuntur non minus, atque publica; haec autem non magis firma rataque sunt, quam priuata, *si eis alia no-  
cere possunt*, ex.gr. inhabilitas testatoris, vitiola heredis in-  
stitutio, agnatio posthumus, & eiusmodi, quae testamentum nullum aut irrumum reddunt, ipso SPISIO ea omnia vltro largiente. *Nullam* igitur dubitationem de certitudine voluntatis defuncti, multo minus probationem in contrarium, locum habere, *si testamentum surcit publicum*, non sine teme-  
ritate generatim adfirmandum esse videtur. Fortasse ex-  
emplum non deesset, vbi testamentum domi rite compositum, post ea Imperatori augusto exhibitum, & in scriniis custoditum, eo proposito, vt post obitum testatoris ibi pu-  
blicaretur, eoque certius valeret, omni effectu nihilo min-  
us destitutum est, licet tam priuati iure, quam auctoritate publici, pollere potuerit. Quid autem de testamento im-  
plicito, iudici ab ipso testatore ad acta exhibito, statuen-  
dum, si heres, alioqui ab intestato, immodicae, importu-  
nae, vel adeo dolosae sollicitationis exceptionem obiice-  
ret? SPISII opinione statim repellendum esset *propter sum-  
mam & exuberantem iudicis fidem*, nostra sententia a proba-  
tione exceptionis haud sine graui iniquitate excluderetur.  
Aut tale vitium iudicis fide, & testatoris praesentia, pur-  
gatur, quod non putamus; aut dubitatio de certa liberaque

B 2

volun-

voluntate defuncti, & probatio contra testamentum iudiciale, locum habet.

(k) cit. diss. §. 7.

### §. VIII.

*Ut ab ipso testatore praesente semper exhibeatur, ad securitatem parum confert.*

Alterum, ullam nimirum securitatem obtinere non posse, si non ipse testator, sed alius quidam eius nominis. Principianti iudici testamentum offert, de nuncupatiuo ipsi adfirmauimus, de scripto clausoque plane negamus. *Metum*, inquit, *fraudis aut suppositionis, a procuratore offerente commissae, perpetuo manere.* Num igitur omnes procuratores, testamentum iudici ad acta exhibituri, nequam & impostores iure habentur? ita, vt nulla plane fides, nulla religio, stet ab eorum partibus; alioqui fraudis suspicio non manebit perpetuo. Ceterum procurator ignarus eorum, quae in tabulis scripta sunt, vix mouebitur vlla ratione probabili, qua, testamentum adulterandi, aut aliena substituendi, libidinem capiat; quin fiducia singularis, quam testator in procuratore collocavit, ipso mandantis iudicio excludit fraudis suspicionem, & praesumptionem bonitatis confirmat. Accedit porro, tantam temporis intercedentem raro, aut vix vim quam, inter mandatum de tabulis ad iudicem perferendis datum, eiusque executionem demonstrandam, intercedere, vt procuratori ad mutandum, aut supponendum falsa, spatium suppetat idoneum. Denique notum est, omnem vim documenti, a priuato scripti, ab eius agnitione pendere, (l) siue expresse declarata, siue, quod iure communis sufficit, contra documenti fidem nihil obiectum fuerit.

rit. (m) Pace dissentientium supponamus, propinquos, ab hereditate exclusos, negare: nomen defuncti in testamento iudiciale implicito, ab ipso testatore sua manu scriptum esse; etiam si testamentum ab ipso traditum olim fuerit iudicis: quis, quaeſo, contradicentes propter ea statim repelleret, quod testator ipſe praefens fuerat? Subſtituamus e contrario tale testamentum, per procuratorem ad acta exhibitum, cuius fidem, quod ad ſubſcriptionem defuncti attinet, omnes ſatentur; nonne hoc praefat illo? Fides iudicis in utroque omnem dubitationem eximit, contra plenam ſecuritatem tribuit, has tabulas eſſe ipsas, quas olim aut testator, aut illius procurator, ad acta detulit, nihil autem amplius efficit, neque vlli vitio interno medetur. Si fingere licet, fi licet omnia ſupponere, quae fieri poſſunt, idem profecto metus fraudis aut ſuppoſitionis, a domesticis committendae, locum habet, vbi quis testamentum, perfectum quidem & iam obſignatum, aliquamdiu in ſcriniis suis, fortafe negligentius, quam par erat, cuſtodiuit, antequam iudici illud traderet, idem, inquam, metus locum habet, qui a procuratore perpetuo metuendus videtur aduersariis.

(l) G. A. STRVVI S Synt. Iurispr. Exercit. XXVIII. th. 24.

(m) BOEHMER. Confut. & dec. T. I. P. II. resp. 57. n. 52.

## §. X.

*Testatoris praesentia in ipso testandi actu necessaria,  
in consequentibus nihil interefit.*

Bina quidem haec argumenta, §. VII. VIII. VIII. a nobis pertractata, ea ſunt, quibus SPISIVS, opinionem ſuam praecipue confirmari, putauit, & quibus, iudice per ill. IO. VLR. L. B. DE CRAMER, optime, & quidem adeo contrariis

*trariis satisfecit, ut & infirma adpareat defensio STRYKII,  
 quam in se suscepit SCHLITTE.* (n) Non defendimus  
 STRYKIVM, sed causam tuemur, quam meliorem verio-  
 remque arbitramur. Praesentiam testatoris, quam SPI-  
 SIVS adeo necessariam esse dicit, vt sine ea nullum plane  
 testamentum, ne quidem omnium maxime priuilegarium,  
 scilicet militare, condi possit, (o) nos aequo exposcimus  
 iphi, vbi de testamento perficiendo agitur, perfecto autem  
 eo & plane absoluto, testatorem mox abesse posse, quin il-  
 lius praesentiam vltra actum testandi nihil ad firmandam ultimam ipsius voluntatem conferre, statuimus. Itaque testamento domi priuatim rite disposito, quam primum a testatore subscriptum, figillo munitum, omnibusque numeris absolutum est, nihil deesse opinamur, quo magis id fieri possit, quod esse dicitur, nimirum testamentum. Ea omnia ab ipso testatore praesente ut expediantur, necesse est, quia testandi actum efficiunt. Inuolucro deinde obtegatur, claudatur imagine annuli, siue ab ipso testatore, siue ab alio, cui confidens istud negotium commisit, quis, quaeso, vnumquam in ea inquisivit follicite, aut quis valorem testamenti ex eius modi rebus diiudicauit, quae proxime quidem consequuntur, attamen a testamenti factione sciunctae ac separatae sunt? Longius remota est ab actu testandi, planeque diuersa testamenti ante conditi & perfecti oblatio coram iudice, seu exhibitio ad acta iudicii, quippe quae demum fit ex interuallo temporis. Quid inter vtrumque interficit, facile vnumquemque perspecturum esse, putamus, si modo opinioni praeconceptae minus indulget. Neque magis ille, qui ultimam voluntatem scriptam iudici offert aperte & explicate, testamentum ad acta primum condit, sed conditum

ditum ante & perfectum exhibet, licet nomen, omnium conspectui patens, a semet subscriptum esse, simul indicet praefens, eiusque rei publicam fidem mereatur. Alter e contrario, tabulas inuolutas sigilloque munitas exhibendo, nullius plane rei, nisi factae oblationis, iudicem conuincit. Num vero hunc dices testamentum ad acta consecuisse?

(n) Observatio. iuris vniuersit. Tomo I. obs. 17. p. 70.

(o) cit. disser. §. 13.

### §. XI.

*Quaestio de testamenti iudicialis impliciti firmitate ex  
mero iure romano non est decidenda.*

Verum enim vero totum controuersiae statum **SPI-**  
**SIVS** quodammodo perturbasse videtur, vbi eum ita proponit: *vtrum de iure romano, cui testamenta oblata suam de-*  
*bent originem, per procuratorem fieri possit oblatio, ita, ut, si*  
*testamentum tali modo conditum fuerit, pro eiusdem validitate*  
*pronuntiari debeat?* (p) Ante omnia monendum est, per te-  
stamentum oblatum ab eo hic denotari vtrumque genus,  
tam Principi oblatum, quam iudici traditum, & inter acta  
relatum. Adhue persuadere nobis non possumus, iure  
mere romano testamenta scripta, inuoluta, sigilloque clausa  
iudici vniquam exhibita esse, eo proposito, ut tamquam  
publica & judicialia valerent. Praeter ea, quae supra §. III.  
adduximus, nouella **THEODOSII & VALENTINIANI** de  
testam. eius modi locutionem monstrat, e qua consensus in  
hac re cum L. 19. C. clare deprehenditur. Quod enim **HON-**  
**RIVS**, auunculus, verbo *publicare* expresserat, idem  
**VALENTINIANVS** significat phras: municipalibus gestis  
suprema iudicia componere; ast componi ad acta nequeunt

ea,

ea, quae diu ante composita sunt, in primis iudice rationem compositionis penitus ignorante. Denique IVSTINIANVS L.27. C. eod. modis infirmandi testamentum adnumerat, si quis mutatam voluntatem inter acta manifestauerit; e quo saltem magna probabilitate concludimus: omnia, quae iure romano, & vnu fori romani, testamentorum causa actis inserta sunt, debuisse publicari, manifestari, & luculente declarari in iudicio. Deinde *oblatio per procuratorem facta, & testamentum tali modo conditum*, inuicem repugnant. Etenim ante conditum esse oportet, quam offerri, id est, iudici per procuratorem ad acta exhiberi potest. Quam obrem, cum tale testamentum moribus Germaniae tantum valeat & sustineatur, superuacuum vtique videtur, de iure romano quaerere, si quidem iudicialis, praeter nuncupatiuum, nulla ibi mentio occurrit, cum quo scriptum explicitum aliquatenus pari passu ambulat.

(p) §. 2. dissertat.

## §. XII.

*An inter testamentum scriptum clausumve, quod vel  
in iudicio deponitur, vel actis insinuatur,  
sit differentia?*

Instare sentimus aduersarios, reprehendentes, confundere nos testamentum iudiciale cum eo, quod ad depositum recipitur, inter quae, siue *inter depositionem & inscriptionem testamenti, maximam differentiam esse*, DE CRAMER contendit. (q) Non negamus omnem differentiam, sed maximam statuimus inter iudiciale nuncupatiuum, & depositum scriptum clausumque. Illud enim deponi nequit, quin potius actis iudicij primam debet originem, neque ab illis diuelli

diuelli potest; hoc quidem deponitur, seu custodiae causa in iudicium transfertur, attamen deponendo simul insinuatur. *Insinuare* enim in materia ultimarum voluntatum significat *notum facere, palam declarare*, ut patet e L. 11. §. 2. de leg. 3. voluntatem suam heredibus fideicommittentis *insinuare*. Quis autem, aut quo modo, testamentum deponet, nisi iudicem simul certiorem fecerit, conditum esse a se testamentum, illud in hisce chartis oblatis contineri, ipsiusque custodiae mandari? Ea ita gesta esse, actis iudicii cuiuscumque bene ordinati continuo inscribitur, seu, ut vulgo loqui solent, registratura conficitur, cuius exemplum deponenti redditur. Non minus, quod, tamquam iudiciale, actis insinuatur, custodiae publicae committitur. Sit in verbis differentia, re conueniunt testamentum scriptum clausumque, quod vel actis insinuatum, vel in iudicio depositum est. Quodsi significationem verbi *insinuare* restringere velis cum DIONYS. GOTHOFREDO (r) ad ea tantum testamenta, quae recitantur integra, & iudicio patefunt, priusquam gestis inseruntur, cuiusmodi exemplum e formulis MARCVLPHI adfert CVIACIVS ad IVL. PAVLI recept. sent. L. IIII. Tit. VI. princ., tum profecto testamentum implicitum numquam insinuabitur. Ceterum usu receptum esse videtur, vt deponamus sola testamenta solemaia, destituta vero solemnitatibus offeramus seu insinuemus.

(q) cit. Obf. §. 3.

(r) ad L. 23. C. de testam.

### §. XIII.

*De insinuacione testamenti scripti expliciti per procuratorem.*

Operae pretium facturi videmur, vbi hanc rem paulo magis illustrauerimus. Perill. DE CRAMER refutationem

C argu-

argumenti strykiiani, e Marculphi formulis olim desumti, quam FR. CHR. CONRADI suscepit, (s) approbat. Nimirum STRYKIVS, praxin antiquioris saeculi procuratorem ad insinuationem testamenti iudicialis admisisse, e Marculpho clare ostenderat. CONRADI, fateri id coactus, effugium quae siuit in natura eius testamenti, quod Marculphus designauerat, illudque *antea rite confessum, & a testatore cum testibus conscriptum fuisse*, adfirmavit. Ita suspicari quis posset, testamentum illud, solemni modo conditum, tantummodo ad acta curialium deponi debuisse, & per procuratorem vere depositum esse; cuius tamen rei plane contraria rationem manifeste deprehendimus. Namque procuratoris petitio: *ut sibi codices publici patcant, Gaium sibi mandasse, ipsius testamentum, ut mos est, gestis municipalibus insinuaret, eiusmodi interpretationem fane non patitur.* Tum, mandato recitato, *testamentum, quod prae manibus habere dixit procurator, etiam, praesentibus defensore & curialibus, recitare iussus est.* Quo facto, *d. f. n. s. ordo curiae dixerunt: quia testamentum & mandatum rite condita, & bonorum virorum subscriptione firmata cognovimus, — in actis publicis conseruentur.* (t) Nolumus repetere, quod aliquoties notauiimus, nempe, testamenti impliciti insinuationem iure romano ignotam & plane insolitam esse, id tantum monemus: subscriptionem bonorum virorum *tam de mandato, quam de testamento, praedicari, & vtrumque ea firmatum esse, expresse commemorari.* Quid autem opus erat bonorum virorum subscriptione ad firmandum mandatum? Sane non ob aliam causam, quam *vt subscriptioni ipsius mandantis, bonorum virorum testimonio, plena fides haberetur.* Eamdem ob rationem illa in testamento quoque

que adhibita est, scilicet, ut collegio curialium certo liquidoque constaret: ipsum testatorem, tum quidem non praesentem, manu sua ultimam voluntatem confirmasse. Omnia *ἰδιοχείρα*, quae trium virorum, probatae atque integrae opinionis, subscriptiones continent, quasi publice confecta habentur; L. II. C. qui pot. in pign. hab. idcirco tale testimonium, de propria testatoris subscriptione perhibitum, eamdem fidem meretur, ac si testator, praefente iudice & afferoribus, nomen suum ipse scripsisset. Eiusmodi subscriptiones testium, quod ad naturam aut formalia testamenti attinet, nihil addunt, nihil mutant, vti DE CRAMER putat, sed meram illam fidem tantummodo efficiunt, quae ad testamentum iudiciale requiritur. (§. VII.)

(s) Dissert. de testamento publico, quod fit apud acta.

(t) Integram formulam extriperunt DION. GOTHOFREDVS &  
SIMON VAN LEEVWEN ad L. 23. C. de testam.

## §. XIII.

*Quae, salvo iure, fieri omnino potest.*

Ita incidimus in rationem, qua SPISII perpetuus metus fraudis aut suppositionis, a procuratore offerente commissiae, tandem inanis redditur & profligatur. Sin igitur testatoris praesentia, neque 1) propter solemnitatem, neque 2) ad excludendam fraudem, & conseruandam testantis voluntatem; (v) ubi testamentum scriptum explicitum insinuari debet, necessaria est, secure concludimus: eiusmodi testamentum, iure adprobante, per procuratorem insinuari posse, ea tamen conditione, vt 3) mera fides

C 2

fiat,

fiat iudici, & de seria voluntate, & de vera genuinaque subscriptione tam testamenti, quam mandati exhibiti. Primum deduximus §. vii., alterum §. viii. explicauimus, postremum §. xiii. demonstrauimus. Quibus, coronidis loco, illud addimus, implicitum ad acta insinuatum vix haberi posse pro publico, quamvis eo nomine vulgo insigniatur. Qua tandem ratione id fieret publicum? cum, quae in illo continentur, solo testatori perspecta sint, neque ad notitiam iudicis, aut magistratus, tamquam personae publicae, perueniant. Etenim testamentum tum demum publicum recte appellatur, si Principi, aut iudici, palam innotescit, & eo modo actis publicis, quippe quae iudici ignota esse nulla parte possunt, neque abscondita esse debent, inseritur. Quod in loco iudicij publico custoditur, nihil efficit, alioqui litigantium pecunia, facio abscondita & obsignata, pariter foret publica, quam primum in iudicio deponitur. Certe hypotheca publica est, si instrumentis publice confectis nititur. L. i i. C. qui pot. in pign. Cautio autem, cum hypotheca adposita, si quam debitor sigillo clausam ad acta insinuaret, instrumentum publice confectum dici plane non potest.

(v) CARPOV. Iurisprud. for. P. III. Conf. III. def. 23.

## §. XV.

*Praxis Germaniae circa hanc rem incerta.*

Vtcumque tandem sit, moribus Germaniae testamentum iudiciale implicitum, tamquam publicum, suslinetur, legitimumque robur obtinet. Quin legibus provincialibus quando-

quandoque haec forma expresse ordinata est. (x) Vtinam de illius insinuatione, per procuratorem expedienda, suffragia aequa conspirarent, postquam procuratori dudum permisum est, testamentum in iudicio deponere. Tota res ad eam quaestione reducenda in primis videtur, an fieri possit, vt ab insinuatione, per procuratorem facta, omnis suspicio fraudis remoueatur, & mera fides iudici constet? id quod §. xiii. haud temere, neque inconsulto, adfirmauimus. Idem euenire non minus putamus, si ipse testator post ea, intericto tempore, insinuationem, a procuratore olim factam, iterum adprobat & ratihabet, quae omnia iudicis prudentis arbitrio relinquenda sunt. Inter ea praxin iudicariam dubiam & incertam fere in hac causa reperimus. Quod enim ad illustrissimum camerae imperialis dicasterium, primo loco suspicendum, attinet, perill. DE CRAMER quidem refert: (y) *principium stabilitum esse, quod ad testamentum camerae imperiali oblatum, nullis vero solemnitatibus munitionibus, testatoris praesentia requiratur: at statim tamen exceptionem prodit, quam concluso tribunalis confirmat: nisi morte praeventus & impeditus fuerit, quo minus praesens esse potuerit.* Dubii omnino haeremus circa hanc rem, quando quidem non respicimus, qua ratione testamentum propter neglectum alicuius momenti, quod ad eius firmitatem requiritur, ab initio irritum, morte testatoris conualescere possit. *Quod enim ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere.* L. 29. de R. I. &, quae ab initio inutilis fuit instituta, ex post facto conualescere nequit. L. 210. eod. Sin igitur testamentum iudiciale propter ea sustineri non potest, quod testator praesens illud non obtulit; tum vtique actus vitiosus initio intercessit, quo tota

C 3

ordi-

ordinatio iniutilis efficitur. Quodsi autem eiusmodi testamento nihilo minus aliquando sustinetur integris viribus; tum testatoris insinuantis praesentia adeo necessaria non est, ut ad illud firmandum requiratur.

(x) Ius prouinc. wurtenberg. P. III. T. III. in HELLFELD repertor.  
iur. priuati pag. 2474.

(y) cit. Obsl. XVII. §. 3. p. 73.

## §. XVI.

*Collegia iuridica non minus in diuersas partes  
abeunt.*

Quemadmodum in compluribus causis auctoritati saepe idem pondus tribuitur, quod rationibus praecipue debetur: ita fortasse BENED. CARPOVII iudicium (z) ICtos saxones dudum traxit in partes nobis contrarias, vti de collegio Lipsiensium refert MENCKENIVS, (aa) de ICtis Vitembergenisibus DE BERGER, (bb) inter lenenses GEORG. ADAM STRVVIVS, (cc) & IO. AVG. HELLFELD (dd) testes eminent, quam opinionem plures amplexi sunt. Contra Halenses post STRYKIVM procuratorem admiserunt, (ee) idem statuere ICtos Goettingenses, relatum audiuiimus, quibus post LEYSERVUM (ff) Helmstadienses adnumerari iure videntur. Equidem in detrimentum, faltem incommodum, partium litigantium hic dissensus manifesto vergit, vbi aleae quasi res suas committunt, iudice acta clam transmittente: attamen vel cum insigni iactura litigare praefstat, quam iure suo sponte cedere.

Indul-

Indulgendum omnino est aliquid fato & destinationi animorum, quoad pruritus & consuetudo non inclinat ad integri generis perniciem, neque finis vñquam erit litium, donec genus humanum intereat.

- (z) Iurispr. forens. P. III. C. III. Def. 13. n. 7.
- (aa) Theor. & prax. pandect. L. XXVIII. T. I. §. 10.
- (bb) Oeconom. iur. L. II. T. IV. §. 2. not. 2.
- (cc) Syntagm. iurispr. Exercit. XXXII. th. 9.
- (dd) Iurisprud. for. §. 1409.
- (ee) DE LVDEWIG in Consultat. ICtor. halenf. T. I. L. I. conf. 315.
- (ff) Medit. ad Pand. Spec. 354. m. 4.



Me. Recens., Se. inter. p. r. e. q. Romanorum


**ULB Halle**  
001 601 61X

3



TA-70C





SIONEM. AVSPICALEM. IVRIDICAM

27

DE. TESTAMENTO

585

ER. PROCVRATOREM

1720,2

D. ACTA. EXHIBITO

CTORVM. ORDINIS. AVCTORITATE

SVB. MODERAMINE

LLVSTRIS. ET. MAGNIFICI

GVILIELMI. GADENDAM

I. V. ET. PH. D.

VSSORVM. A. CONSIL. IVSTIT. IVRIS

ACAD. H. T. PRORECT. ET. ORDINIS

ICTOR. DECANI

D. LICENTIA

IN. VTROQ. IVRE. HONORES  
GITIME. CAPESENDI

D.VII. SEPT. CICICCLXX.

PVBLINE. DEFENDET

A V C T O R

S. NICOLAVS. KAEVFFELIN  
KILIA. HOLSATVS

K I L I A E

OFFICINA. BARTSCHII.